



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Multo minus ob eam, quam non omnino improbat Johannes Braunius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

Braun. de  
Vest. Sac.  
Hebr. l. I.  
cap. 3.

extraneis negotiis sic imperatam sci-  
rent, quoniam domestica opera nudis  
pedibus, forensia calceati curabant,  
quam rationem se non omnino impro-  
bare posse vir pereruditus Johannes  
Braunius dicit. Hoc enim nimis  
longe petitum, & allegoricum est.  
Sacerdotes quamdiu in Templo occu-  
pati erant, reputari domi esse, &  
rem patris coelestis curare, unde etiam  
Christus, qui in Templo inter doctores  
sedebat, dixit ἐν τοῖς τῆς πατρὸς μου  
δομοῖς εἶμαι, adeoque calceos gestare  
non debuisse, ut nulli alii negotio in-  
tricati, vir doctus quidem monet.  
Sed hæc istius ritus ratio, nimis  
perfecto jejuna foret, &, ut verè  
dicam, frigida. Nam quod addit:  
Hinc non tantum calceos deponere ju-  
bentur, sed & baculum, quo inter  
perigrinandum per vias uterentur, nec  
pecuniam, nec crumenam, aut lin-  
teum, quo pecuniam involverent, se-  
cum ferre licebat, his enim uti sole-  
bant iter facientes, & ii qui negotiis  
urbanis inhærebant, eam rationem  
nihil omnino juvat. Quis quæso!  
sibi persuadebit hæc eam ob cau-  
sam vel instituta, vel ab Hebræo-  
rum sacerdotibus observata, ut  
homines

LIBER SECUNDUS. 271

homines referrent qui domi munia  
sua discalceati obeunt, aut sine  
baculis, crumena, aut linteo, in-  
cedunt? Quasi vero quia calcea-  
mentis, vel baculo iter facientes,  
& qui negotiis urbanis inhære-  
bant utebantur, hæc sacerdotibus  
Hebræorum fuissent vetita, qui,  
cum in templo munia sua perfici-  
unt, reputantur domi esse?  
Quod vero subiecit, inde etiam Chri-  
stum discipulis suis, postquam eos  
per totum terrarum orbem, ad  
prædicandum Euangelium misisset, ve-  
tuisse more solito favere: *Μὴ κτήσεσθε*  
*χρυσὸν, μηδὲ ἀργυρὸν, μηδὲ χαλκὸν εἰς*  
*τὰς ζώνας ὑμῶν, μὴ πήραν εἰς ὄδον, μηδὲ*  
*δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥιζοῦδι.*  
Ne possideatis aurum, aut argentum,  
neque æs in zonis vestris, neque peram  
ad iter, neque duas tunicas, neque  
calceos, neque baculum. Ut pote,  
qui eodem habitu eos accinctos voluit,  
quasi ituros ad templum, rem divinam  
facturos, quia revera totus orbis, si  
officium spectes, iis quasi domus Dei,  
atque sanctissimum aliquod templum  
fuit, & ubique locorum supremi Θεο-  
πότης Christi æternitatis patris, rem  
faciebant, in eo vehementer falli-

Matth. 10.  
9. 10.

tur. Calceos enim suis discipulis Christus non prohibuit, & longe alia fuit istius præcepti ratio, uti superius docuimus. Neque hæc fortassis etiam causa fuit, ob quam verpulorum magistri tam expresse vetuerint populo, templum ingredi: במקלו ובמנעלו ובפתחתו ובאבק שעל רגליו לה יעשה קפנוריה ולה במעורו לה יעשה קפנוריה לה במעורו cum baculo, aut calceo, aut marsupio, aut pulvere super pedes, nec compendii causa, nec cum pecunia ligata in linteo. Id enim vir doctus minime ignorat ob sanctitatem loci factum. Quæ sane est unica ratio, cur & ii qui Templum adibant essent discalceati, & sacerdotes non nisi nudipedes suamunia obirent.

VI. Hoc cum jam dudum à viris doctis observatum sit, Hebræorum sacerdotes discalceatos fuisse dum rem divinam facerent, nescio cur Aaron cum calceis sæpe representetur. Occupavit hic error tabulas vulgares, quæ Belgicis Bibliis inseruntur. Videatur tabula peregrinationis Israelitarum in deserto, &, quod mireris, Moysis pedes in ea nudi, Aaronis

lib. 1.  
cap. 6.